

1563

*Aloysius
Davila a
Philippo
Rege ad Pö-
tificem mis-
sus.*

communi bono consuleret, concessurum. Sub id quoque tem-
pus Philippus Hispaniarum Rex Aloysium Davilam Romam
miserat, qui de Synodo proseguenda ageret. Germani vero
Principes, Augustanam confessionem amplexi, ad Concilii
Patres literas dederant, quibus, quominus in eandem sen-
tentiam convenirent, nunquam detrectasse, aut impedimenta
injecisse, ajebant. At decretis iis, quæ a Concilio Pontificis
auctoritate ederentur, obnoxios esse nolle Cæsari significasse.
His permotus Pontifex, ut de reformatione a Concilii Patri-
bus ageretur, adensus est, cum prius Joannem Moronum
Cardinalem ad Cæsarem proficisci jussisset, ut illius animum
flecteret, atque ne Concilii libertas in licentiam prolabi sine-
ret, durioraque nimium Gallorum postulata remitti curaret,
hortaretur. Eadem quoque cum Philippo agebat, Lotharin-
gus Cardinalis pristino animi ardore sedato, ac restincto, æ-
quiora flagitabat. Itaque Sessione xxi. de ecclesiasticorum re-
formatione agi cœptum. Complura a prioribus Conciliis de-
creta repetita, ac firmitus sancita; Ecclesiasticus ordo severio-
ribus legibus adstrictus, ut jam, consentientibus Principibus,
Synodo finis imponi posse videretur.

*Condæi
Principis
legatus ad
Philippum
Regem, ut
Concilii
exitum im-
pediret.*

*Philippus
Regis ad
Condæum
responsum.*

Condæus tantum, Gallici consilii princeps, si qua posset ra-
tione, ejus exitum impedire nitebatur, legato in Hispaniam
ad Philippum misso, qui, majori Germanorum parte, Anglis,
Scotisque, & Gallis compluribus, in quorum gratiam Triden-
ti Concilium indictum fuerat, justis de causis eo proficisci ab-
nuentibus, quod universale, atque œcumenicum non esse as-
fererent: in Germaniæ civitatem aliquam, ut puta Constan-
tiam, Wormaciam, vel Augustam Vindelicorum transferri pe-
teret: ni id fieret, in eorum provinciis concilia habituros. Con-
dæi postulatis a Rege responsum: legitime Tridenti Concilium
coactum, Regum, ac Principum Christianorum consensu: Fran-
ciscum Secundum, Galliæ Regem, illud ad inflicta suo regno a
pessimis hominibus vulnera sananda petiisse; Pontificem Ma-
ximum cunctos, qui christiano nomine censerentur, invitaf-
se; fidem publicam interpositam, ut quibuslibet eo accede-
re, ac reverti tutum, atque incolume foret. Itaque nil im-
mutandum, proseguendum quinimmo, ac quidquid ab eo
decretum fuisset, id ratum, ac sanctum haberi oportere. Ea-

dem